



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. De nomine huius Maris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

timóque *Syrtis Maioris Sinu* ad Fluij *Ampfage* ostia protenditur, & inde ad *siciliam Sardiniamque* procurrit iuxta descriptiones Ptolemæi. De *Sardinia* asserit idem Mela. Quidam tamen Dionysium credunt *Siculum* mare ad *Syrtis* vsque promouisse; sed hi verba Dionysij non satis intellexerunt.

Ptolemæus autem lib. 4. cap. 3. illud mare *Africanum* in tres partes seu Sinus diuidit, *Syrtim Maiorem*, *Syrtim Minorem*, & *Sinum Numidicum*: *Maiorem* cœrcet *Phleni*, & *Macomaca* villis: hinc ad *Tanam* urbem *Minorem* describit: reliquum tribuit *Sinui Numidico*, quem & promouet cap. 3. In *Mauritaniam Cæsariensem* ad *Audum* Fl. vel potiùs Promontorium.

De *SARDDO*, & *IBERICO*, quorum partes saltem *Libyco* adscribunt Mela, & *Plinius*, satis egimus cap. 4. huius libri.

## CAPVT IX.

## De Ponto Euxino.

**H**OC Mare perillustre ob fabulosas expeditiones, ideóque *Herodotus* in *Melpomene* hoc ἀξιοθέτω, & θαυμασιώτερον appellat. De quo sex expendemus.

## §. I. De nomine huius Maris.

OMITTAM hie multa παραρρησά quæ tibi suggeret *Stuchius* in *Periplum Arriani*. Dictum est hoc mare.

Primum *PONTVS* κατ' ἐξοχήν, vt ait *Strabo* lib. 1. Quia in eum quicumque nauigarent periti habebantur *Nautæ*. Dicere autem cum *Bocatio* libro de *Fluminibus*, & *Maribus*, sic appellatum esse quasi *Pontem*; quod hyeme concrefcens pedibus euntium teratur; vel à *Potu* quòd dulcescat aquis *Fluminum* influentibus, *Grammaticorum* more nugari est.

Secundum *EVXINVS*: vel ex *Antiphrafi*, vt ait lib. 22. *Ammianus Marcel.* quasi *Ironice* ἔξενος, vel ἀξενος, vnde *Quidius*,  
Dictus ab antiquis *Axenus* ille fuit.

Et κατὰ ξενος, quia *Tauri* eius accolæ *Dianæ Orchilochæ* *Hospites* huc delatos immolabant, & in eorum *Cranis* bibebant; vel sine vlla *Antiphrafi* ob alios mores illatos ab *Ionibus*, vt vult *Strabo* lib. 7.



*Tertium NIGRUM mare*, meminit huius vocis Appianus in Mitrid. Cuius coloris causam alij referunt in profunditatem, alij in aërem illic caliginosum. Hoc tamen negat Aristoteles dum quærit in Problematis, quare *Euxinus sit Ægeo candidior*.

*Quartum CAVCASIVM* apud Apollonium lib. 4. quoniam inquit Iornandes in Gothicis in illum Cauensus mons excurrit ad rupem *Marpesiam*.

Reliqua nomina eius sunt *Scythicum*, & *Sarmaticum*, Ouidio & Valerio: *Amazonium* Claudiano: *Cymmerium* Herodoto: *Ponticum* Plutarcho & Tacito: *Tauricum* Auieno: *Colchicum* Straboni: *Phasianum* Aristidi: *Tanaïs* Gothis apud Procopium. Vide Theaurum Ortelij.

### §. 2. De origine huius Maris.

QUIDAM eius maris aquas ex Oceano per Fretum Gaditanum accersebant ut supra monuimus. Nunc quærimus tantum utrum Ægeum ex Ponto, an Pontus ex Ægeo existat.

Quod *Ægeum sit origo Ponti*, putant Dionysius, Mela, Macrobius, alique apud Eustathium: Strabo autem inconstanter locutus est.

Quod *Pontus aquis sufficias Ægeo* antiquior opinio fuit, & verior: sic enim censuit Herodotus, & eam sequitur Petrus Gillius in suo Bosphoro, testis *αὐτόθεν*. Ratio est, quia leuiores ut paleæ & ligna ex Ponto defluunt in Propontidem. Quam causam dum refundit Macrobius 7. Saturn. cap. 12. in aquam fluminum supernatantem Euxino, & in Ægeum influentem, se profitetur imperitum Philosophiæ. Rectè ergo apud Scythas *Palus Maotis* dicitur *Temerinda* hoc est Plinio teste *Mater Ponti*. Et apud Eustathium *Μῆτρα τῆ Πόντου Νυρίη Ponti*.

### §. 3. De Euxini quantitate.

Hoc est, quæ sit eius Longitudo, Latitudo, Ambitus, Profunditas.

*Longitudo*, Herodoto in Melpomene est vndecim millium, & centum Stadiorum: licet multa falsa auctor ille supponat nempe *μακρότατον* eius esse à ostio Phasis ad Bosphorum. Themistius

Qij